Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26099
Copyright: Admont, Benediktinerstift



POST AMPLA
FLORENTIS

sime etatis tercie spectacula. quarta tan
de mundi splendida nos excipit etas,
eius pulchritudo lucida mentis nostre oculos quasi
a terra in celum leuet. ut post actualia legis insti
tuta. regum et prophetarum qui sub ipsis prophetauerunt.
facta fortia et celestia partim contemplemur eloquia.
Nam pulchra quidem terre plantaria que tercio die planta
ta vel produci iussa sunt. sed pulchriora celi luminaria
que quarto die facta. vel infirmamento posita sunt. Sic ni
mirum pulchra quidem et bona sancte legis opera que tercia
mundi etate in figura futurorum precepta sunt. sed pul
chriora regum coronatorum et prophetarum facta et dicta.
quo in typum regni dei. in testimonium magni et ueri
regis christi presplenduerunt. Hanc et enim quartam etatem quarto
diei in laude creatoris cum iubilare recte dixerim. et secundum
opera utriusque. spiritum sanctum. spiritum predicari fortitudinis. quia uidelicet et
quarto die luminaria firmamentum ornauerunt in potestatibus et
firmissimis ordinibus suis. et quarta etate in psalmis canoris
scriptisque. propheticis regali auctoritate sermo dei cum ualuit
auctum est uerbum promissionis. In quo. In eo uidelicet. quod is qui hactenus
homo vel semen in ysaac uocandum pater abrahe promissus fuerat.
iam rex promittitur. cum iuramento dicentis ad dominum. De fructu
uentris tui ponam super sedem tuam. item. semel iuraui in sancto
meo. Si dominum mentiar. Semen eius in eternum manebit. et thronus